



Hierin fehlte Nr. 8

am 10. 4. 1917.

Suchies.



DE  
SCARIFATIONE OCVLORVM  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
CONSENSV

P R A E S I D E

D. IO. ZACHARIA PLATNERO

PHYSIOL. P. P. ORD. FACVLT. MED. ADSESSORE

PRO GRADV DOCTORIS

DISPVTABIT

M. FRIDERICVS CHRISTOPHORVS PRAETORIVS

NEOSTAD. AD ORIL.

MEDIC. BACCALAVR.

D. X. SEPTEMBR. ANNO cL<sup>o</sup> lcccXXIIX.

H. L. Q. C.

---

LIPSIÆ  
LITERIS TITIANIS.



DE  
SCARIFICATIONE OCULORVM  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
CONSENSV  
P R A E S I D E  
D. IO. ZACHARIA PLATNERO  
PRO GRADV DOCTORIS

DISSEVAVIT  
FRIEDERICVS CHRISTOPHORVS RALPHORVS  
MEDIC. BACHAR. A. P.  
D. X. SEPTEMBR. ANNO. 1728.  
LIT. B. A. E.  
LIT. B. A. E.  
LIT. B. A. E.







Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

**L**ites, quae a multis annis, inter historiae literariae scriptores, de veterum et recentiorum praestantia, non sine magna contentione agitatae fuerunt, iamdudum etiam ad nostras Medicorum scholas peruenerunt. Sunt enim non pauci priscae vetustatis nimii aestimatores, qui veteribus et primis artis salutaris conditoribus omne praekonium deferunt, et illis omnibus numeris absolutam medendi peritiam, imo abditarum prorsus rerum, et nobis iamdum ignotarum cognitionem temere tribuunt. Alii ad mathematicorum et chemicorum in corporum naturalium proprietatibus

A

ac



ac principiis indagandis solertiam, ad anatomicorum corpora artificiose secandi dexteritatem, ad medicamentorum, ex ultimarum gentium terris allatorum, copiam, illorumque splendidam et operosius, chymica arte, factam praeparationem, ad Botanices studium, his temporibus summa Celeberrimorum Virorum industria cultum, exoticis plantis locupletatum, nouo ordine variaque methodo dispositum, vt alia taceamus, prouocant; quibus probare laborant, recentioribus omnem laudem deberi, priscorum vero autorum volumina ad bibliothecarum pulueres, et sordes esse releganda. Nostrum non est has lites componere; quilibet tamen videt, mediis consiliis stare prudentiores. Negandum enim non est, illis, quas mox allegauimus, aliisque accessionibus medicam artem auctam et longe splendidiorē factam fuisse; dari etiam nostra aetate viros doctrina, consilio, et consummata in medendo prudentia pollentes, qui veteribus palmam omnino eripere possunt; medicinam etiam nostris temporibus a multis commentis fabulisque repurgatam fuisse, vt alia, quae in nostri seculi laudes vberius afferri possent, silentio praetereamus: Hoc tamen extra dubium positum esse arbitramur, veteribus etiam suas laudes deberi,



beri, tum, quod dulce est rerum primordia nosse, tum quod *MARTIALI* teste:

*Multum, crede mihi, refert a fonte bibatur*

*Qui fuit, an pigro, quae stupet vnda lacu.*

*Qui enim priscae Medicinae antistites paulo studiosius legit, is, et nobis tacentibus, profitebitur, multa in his reperiri, quae, ex vetustatis squalore collecta, ad rem medicam illustrandam, ac morborum saepe tenacissimorum medelam instaurandam, egregie faciunt. Raro enim ab his veritas commentitiis observationibus, et fictis medendi modis contaminata fuit, qualia saepe nostris temporibus, ne quid de sua existimatione deperdat hypothesis, ab opiniosissimis doctoribus magna libidine finguntur, maiori audacia proferuntur et maxima contentione defensitantur. Multa etiam in his abscondita, profundae vetustatis caligine obducta latere certum est, quae eximiam in tuenda et restauranda valetudine afferre possent utilitatem, si denuo in usum vocari commode possent. Sed vero obstare videtur, et aetatis nostrae meticulosa mollities, quae paulo acerbiorē medelam, desperatioribus quandoque morbis adhibendam, recusat, et veterum au-*



Etorum lectio adeo impedita. Dolendum ergo  
 est, veterum codices, prae reliquis vero medi-  
 cos, truncos, mutilos lacerosque et librario-  
 rum iniuria valde deprauatos ad nos peruenisse,  
 nec iis emendandis linguarum peritos tantam  
 curam impendisse, ac aliis autoribus. Accedit,  
 interpretes illorum vel graeci et arabici ser-  
 monis, vel rerum medicarum non satis gna-  
 ros, rudes, aut minus exercitatas manus his  
 codicibus admouisse, ut sic et hinc multa, eo-  
 rum, qui de medicis rebus commentati sunt,  
 haud intelligantur. Plura huius veritatis do-  
 cumenta allegare possemus, maxime ex iis,  
 quae ad efficaciorum, quae manibus exercetur,  
 Medicinam attinent, in qua veteres omni cura  
 studioque versati sunt. Commode tamen nos  
 hoc labore supersedere posse existimamus, post-  
 quam Celeberr. FREINDIUS, cuius praema-  
 turum obitum cum toto orbe literario luge-  
 mus, in eleganti, quam haud ita pridem edidit,  
 Medicinae Historia plura, a recentioribus ne-  
 glecta, exposuit, alia veteribus vindicauit. Con-  
 stitutum tamen nobis est specimen neglectae cu-  
 iusdam oculorum chirurgiae dare, de scarificatio-  
 ne illorum acturi. Illam dissertis verbis ab HIP-  
 POCRATE descriptam, nec aliis Graecis A-  
 rabibusque ignotam, a recentioribus vero ad no-  
 stra



stra usque tempora obliuione prorsus oblitterata fuisse, dubio caret: Illud vero ideo sine dubio factum est, quod et HIPPOCRATIS interpretes libellum de visu, propter inexpugnabilem, quae ipsis visa fuit, obscuritatem, ad spurios ablegare maluerunt, quam textui lucem debitam afferre: Forte etiam temerarium ac crudele visum est oculos cruentare. Hoc tamen chirurgiae genus a Celeb. WOOLHOVSIO, de quo, an propter rerum ophthalmicarum, an propter graecarum litterarum peritiam, et sedulam veterum lectionem, maiorem laudem mereatur, dubium est, feliciter restitutum fuit. Hic enim non solum FOESII et LINDENII interpretationem emendauit, sed et instrumentum excogitauit, quo iam haec chirurgia commode exercetur. Norunt vero omnes, qui WOOLHOVSIVM frequentarunt, quanto olim studio et instrumentum et ipsam enchyresin celauerit; quanto autem desiderio non solum Parisiis, sed fere per totam Europam utrumque fuerit expetitum variumque in modum frustra imitatione tentatum, constat. Cum vero hac salubri chirurgia grauissima saepe oculorum vitia sanari queant, illa vero iam pluribus nota sit, speramus, pace laudati Domini de WOOLHOVSEN fieri posse,



vt illa paulo studiosius exponatur; id quod ideo a nobis factum est, vt commilitonibus disputandi materiam praebeamus, et simul hanc enchyresin utilissimam frequentiori exercitio commendemus. Ita vero circa hanc rem versabimur, vt huius scarificationis historiam paulo altius repetamus, textum HIPPOCRATIS ab erroribus vindicemus, et tandem ipsam enchyresin, et tempus, quo illa exercenda est, et utilitatem, quam in variis morbis impertiri solet oculis, haud omissis iis, in quibus spem fallere videtur, experientia edocti, ingenue recensamus. D. D. F!

## §. I.

**S**carifare, vel, vt vulgo scribitur, scarificare, est vocabulum ex graeco in latinum, aliumque deinde sermonem, flexum. Το enim σκάρηφος festucam, stylum et HESYCHIO teste ξέσιν γραφήν, et το σκαριφάσσει, ξέσιν, σκάρτην, γραφήν designat. Constat tamen hoc vocabulo rarius, vel nunquam, vfos fuisse graecos medicos. In his enim scarificare per το κάτασκαρῆσεν (a) σχάζειν et σχάσαι (b) ἀποσχάσαι

(a) HIPPOCRATES de Medico Edit. Linden. T. I. pag. 48.

(b) GALENUS in Comment. II. in Hippoc. de fracturis Text. XIII. T. XII. Edit. Charter. pag. 198. Confer. eiusd. Galeni Dict. Hippocratis, qui Lib. VI. Epidemicor. Sect. V. T. I. Edit. Lind. pag. 811. iubet σχάζειν τας εν τῶσιν ὡσιν ἔπιθεν φλεβῶν, vbi Galenus το σχάσαι per το ἀμύξαι explicat.



σαι (c) κατασχάζειν (d) ἐγγράπτειν (e) ζυγγαρόπτειν (f) scarifatio per τὸ κατασχασμός (g) ἐγγράφαις (h) exprimitur. Ex latinis scriptoribus CELSO nunquam, saepius PLINIO, (i) nec non COELIO AVRELIANO (k) hoc vocabulum familiare fuit. Viri Celeberrimi vero notarunt, latinus dici, *scarifare* et *scarifatio*, quam *scarificare* et *scarificatio*. (l) His temporibus hoc vocabulum, scholis medicis fere proprium factum, non ancipitis potestatis est, sed illud chirurgiae genus denotat, quo partes solidae molliores corporis frequenti magis, quam magna et alta sectione fauciantur.

§. II.

- (c) GALENVS de Valerud. tuenda L. IV. Cap. IV. T. VI. p. 120. et L. XIII. de Method. Med. Cap. V. T. X. p. 296. ARETAEVS CAPADOX de Curat. acutor. morbor. L. I. Cap. X. Edit. Oxoniens. IO. WIGAN. p. 103.
- (d) GALEN. L. de Hirudin. Cap. IV. T. X. p. 455.
- (e) Eod. l. et PAVLVS AEGINETA L. VI. Cap. XLI. p. 190. Edit. Basil. Gemusaei de anno 1538.
- (f) ARETAEVS de Curat. morbor. diuturnor. Cap. II. p. 129.
- (g) PAVLVS AEGINETA l. c.
- (h) ARETAEVS l. c. L. I. Cap. II.
- (i) PLINIVS Histor. Natural. L. XXXII. §. 26. Cap. VII. T. I. Edit. Hard. p. 584. et L. XXXII. §. 49. dicit gingivas scarificare. L. XXXVII. Cap. XII. §. LXXXVI. T. II. p. 796. loquitur de gemmis obsidianis, quod veras gemmas haud scarificent; id quod mox etiam per scarificare exprimit. Alibi L. XIII. Sect. XXXIX. Cap. XV. fenum graecum scarificatione feritur i. e. Harduino interprete, proficissa leuiter tellure, nec alte arata L. XXII. Cap. XXIII. T. II. p. 182. legitur circumscarificare i. e. per ambitum et superficiem scindere.
- (k) COELIVS AVRELIANVS de Morbis Acutis L. I. Cap. XI. p. 31. Edit. Almelouen.
- (l) Vid. HARDVIN. ad supra allegata loca PLINII, et SALMASII Exercitat. PLINIAN. in Solinum. T. I. p. 416. qui in codicibus scariphare legi probat. THEODORVS PRISCIANVS teste eod. HARDVINO ad L. XVII. Cap. XXVII. primus scarificare scripsit.



## §. II.

Scarificationem hanc veteribus commendatissimam fuisse, illorum monumenta testantur, quam tamen vario modo exercuerunt. Graeci inflictis maioribus et profundioribus vulnusculis ex parte, quam, prius tepida lotam leuiter percutiebant, igni admouebant et ligatura stringebant, saepe plus sanguinis detraxerunt, quam ex secta vena. Hanc scarificationem malleolis et furis prae aliis partibus adhibebant, quam rem et GALENVS (m) et ORIBASIVS (n) ex ANTYLLO et APOLLONIO, nobis reliquerunt et hic testatur, quod se ipsum, pestilenti aliquo morbo in Asia correptum, hoc praesidio curauerit, extractis duabus libris sanguinis ex furis. In Arabum scriptis nullum fere vestigium huius chirurgiae reperi, praeter FREINDIVM testatur IO. BAPTISTA CORTESIUS; (o) ALBVCASIS tamen, quem FREINDIVS allegat, obscurius de profundiori et iterata crurum scarificatione loquitur. (p) Aegyptii vero hanc chirurgiam, quam sine dubio a Graecis acceperant, haud neglexerunt, sed illam grauissimis morbis adhibuerunt, et phlebotomiae praetulerunt. Hoc ad minimum certum est illam recentioribus vsu venisse, id quod testantur duo medici, qui, per plures annos in Aegypto morati, hunc sanguinem mittendi modum, oculis et mentibus nostris subiecerunt, illumque summis laudibus ornauerunt. Sunt illi PROSPER ALPINVS (q) et IO. IACOBVS MANNVS.

(m) De Hirudinibus etc. Cap. IV. T. X. p. 455.

(n) Collect. Medicinal. L. VII. Cap. XIX. et XX. In Collect. H. STEPHAN. Confer. FREIND. Histor. Medicin. P. I. p. 8.

(o) In Miscell. Medicinal. Messinae 1627. edit. Decad. VII. p. 381.

(p) ALBVCASIS L. II. C. XCVI. p. 183. Edit. Basil. 1541.

(q) De Medicina Aegyptiorum L. III. Cap. IIX. vbi et figuram adiectam videmus.



MANNVS. (r) Vix nostris temporibus hac scarificatione utimur, quae in corporibus obesis, quando phlebotomum difficilius admittunt, non prorsus contemnenda esset, modo aegrorum, ad voluptatem magis, quam ad dolorem compositorum, mollities, medicos ab illa haud prohiberet. Quando tamen in membro, maligno fidere afflato, sphacelus imminet, illud a chirurgis altius conciditur, et, ut loqui solent, scarificatur, id quod omnibus, notum esse arbitramur.

§. III.

Praeter hanc scarificationem altiore, veteres, tum Graeci, tum Arabes saepe, leuioribus sectionibus factis, cucurbitularum ope sanguinem extraxerunt. Magna tamen harum cucurbitularum fuit differentia. HIPPOCRATES (s) commendat haud ventrosam, sed parte ad manum vergente prolixam, non grauem, quando reuulsionis causa adhibenda est, seu, ut loquitur, quando rheuma ab apparente carne procul compactum est; latum vero circulum describentem, maiore dolore per carnem disperso et magis diffuso. Has cucurbitulas veteres ex cupro, vitro, cornu conficiebant, et mox in superiori parte erant clausae, ideo mediante igne corpori agglutinandae, mox apertae, quas chirurgus, spiritum

(r) In Epistol. ad H. FABRICIVM ab Aquapendente datam, de Malloleorum scarificatione ex veterum sententia, anno 1583. impressa, sub finem ita loquitur: ab eo igitur tempore, quo Deus Optimus Maximus praesidii istius notitiam mihi concessit, minori discrimine, maiori utilitate facilitateque multis aegrotis subueni, quod et medicos omnes ut faciant, hortor et rogo. Huic contrariatur CORTESIUS: l. f. c. Qui non dubitat, hanc scarificationem carnicinae et crudelitatis titulo insignire, existimans, huic Graecorum scarificatione longe praefereudas esse Arabum cucurbitulas, ceu longe vtiliores minusque periculosas.

(s) De Medico l. c.



tum ore adducens, et foramen cera obdurans, corpori aptabat. (t) Ipsiū etiam sectionis quaedam fuere differentiae: alia enim scarificatio κατὰ πληγὴν punctim, alia κατὰ σφῆρον caesim fiebat, vt alias differentias taceamus. Iaponensium et Sinensium acupunctura, quam hi populi omnibus morbis solam adhibent, et, in ea maximum momentum ad sanitatem recuperandam positum esse, existimant, scarificationis generibus commode adnumerari possēt.

## §. IV.

Instrumenta quod attinet, quibus veteres vsi sunt, HIPPOCRATES commendat μαχαίρια καμπύλα ἔξ ὀστέου μὴ λίαν σφῆρα, scalpellos incuruos in summo non valde angustos; qui forte iidem fuerunt, quibus mediātib; phlebotomiam exercuerunt. PAVLV; AEGINETA (u) mentionem facit instrumenti tribus scalpellis instructi, quod cum eo forte conuenit, quo quidam ex nostris balneatoribus vtuntur, ad quos scarificationis, cum cucurbitulis factae, exercitium transit. (x) Sedecim vulnuscūla eo infliguntur; ideo tamen haud aptum

(t) Vid. CELSV; L. II. C. XI. CAELIV; AVRELIANVS, qui de re corporatiuis aliisque generibus loquitur L. II. morborum chronic. Cap. VII. p. 385. et passim. Confer. ORIBASIV; c. l. qui argentaeas ideo reicit, quod vehementer igniantur. Figuras eueurbitularum vide in ALBVCASIV; L. II. Cap. XCVI. p. 185. Confer. CLE- RICIV; Histor. Medicin. p. 476. et 520.

(u) L. VI. Cap. XLI. Τινες ἐπενόησαν ὄργανον πρὸς τὸ το, τρία σμῆλαισα διαρέσει; ζεύξαντες ὀστέον, ὅπως τῆ; μὴ ἐπιβολῆ; τρεῖ; γίνωντο. ἀλλ' ἡμῶ; τῆτο δύσχερον ἠγάμενοι, ἀπλῆ σμῆλαι χερσῶμεθα. Ex quibus verbis clarum est, PAVLV; huius instrumenti inuentorem haud fuisse, vti existimat Celeberr. FREINDIV; in Histor. Medicin. P. I. p. 88. nisi forte interpretis vitio erratum fuerit. Nam gallica versione vtimur.

(x) Vid. HEISTERI Chirurg. Tab. IIX.



aptum esse videtur, quod in membris rotundioribus non aequalis fit sectio, sed in parte elatiori profundior, in decliviori levior, et quae vix summam cutis partem tangit. Haud recensetibus morbos, quos, hoc sanguinis profluvio excitato, sanauerunt veteres, nec varias partes, quae ab Aegyptiis, teste ALPINO, cruentatae fuerunt, quae alia occasione studiosius exponuntur. De narium scarificatione notamus, illam ab ARETAEO iam fuisse descriptam, et in cephalaeae imprimis curatione commendatam, in quem finem duplici instrumento, quorum alterum *κατεαίδιον*, alterum *στορυήν* appellat, usus est: (y) hinc videmus narium scarificationem,

B 2

a Ce-

(y) Verba ARETAEI de Chronicorum Morborum Curatione L. II. Cap. II. de Cephalaea p. 128. sunt: Ες δὲ τὴν ἐπίεσαν ἡμέρην, αἷμα τῆς εἰνὸς εὐδου ἀφαιρέσειν, ὡς εἰσο παραβέται τὸ ἐργαζον, Κατεαίδιοι εὐμηκτες, ἢ τὸ καλεόμενον Στορυήν. ἢ εἰ τις ἐλλειπῶς πρὸς τὰδε ἔχει, χινυες χερῶν πτεροῦ τὰ καυλὰ τὰ παχέος ἀπορριψάντα, ταμνεῖν τὰ νεύρα ἐς ὀδόντα ὁμῶς πρὸς ἕνα, καὶ τὰδε ἐς εἰνα κατιέναι μέσφι τῶν ἰδμοειδῶν, ἔπειτα ἀμφοτέρωσι χερσὶ κινέειν, ὡς εὐγχαρῆσαι οὐκ ὑπὸ τῶν ὀδόντων ἔχθρας. εἰδὴ δὲ καὶ πολλὰ τὰ αἵματος ἢ φροφ. φλέβες γὰρ ἰσχυρὰ τῆδε κρῆναισι, καὶ τὰ σωματὰ μαλακὰ καὶ εὐμηκτα. εἰσὶ δὲ καὶ τοῖσι δημητῆσι πολλοὶ τῆς εὐγχαρῆσιος οἱ τρέβοι, καὶ βοτάνησι τρεχέησι, καὶ φυλλοῖσι δάφνης ἐρηρῆσι, ἐνθέντες τὰδε, ἢ τοῖσι δακτυλοῖσι κινέειν εὐταῖος. Κινώσαντα δὲ σπῆσον χερῶν, (ἐσω δὲ πλήθος ἐς κοτύλης τὸ ἡμισυ,) μῆσσαν σπῆσσοισι καὶ ἀκνιρῆτω, ἢ ἐπὶ τὸν ἰσχυρὸν ἀμφὸς ἡμῖδα, ἢ στυγὴν στυγτηρῆν, ἢ βαλαυσίον. Postero autem die, sanguinem ex interioribus nasi partibus detrahitio; quod fiat, immisso longo instrumento, quod *Cateaidion*, vel eo, quae *Storyne E* vocatur: vel si quis haec non in promptu habeat, oportet anserinae pennae, abscisso crasso caule, nervosam partem denticulatim, instar ferrae, incidere, idque intra nares immittere vsque ad ossa ethmoidea, ac deinde utraque manu agitare, vt a dentibus scarificetur locus; inde sanguis facile et copiose effluet: tennes enim illic venulae desinunt et caro mollis est atque incisioni opportuna. Alii multi sunt apud vulgum scarificationis modi: vt i herbis asperis et aridis, lauri foliis, quae naribus



a Celeberr. STAHLIO (z) commendatam, etiam Graecis fuisse cognitam. Nuper oblatum fuit instrumentum, triplici cuspide, mediante elatere mouenda, instructum, quod scarificationi narium inseruire, et locum τῆς ναρείας εὐμηκῆς seu τῆς σοφύνης ARETAEI obtinere potest. (a)

## §. V.

Non raro scarificationis nomine quamuis partium dolentium et male affectarum cruentationem designarunt veteres: hinc PLINIVS odontalgia laborantes dentes iubet scarificare, mox alio dente hominis vi interempti, (b) mox osse, acui simili, quod in latere leporis reperitur, (c) canino dente sinistro maximo, aut osse draconis ex spina: item enhydridis siue colubri in aqua viuentis, ossibus lacertae e fronte luna plena ita exemptis, ne terram attingant, nec non ossiculis gallinarum in pariete seruatis, fistula salua proiectoque ossiculo, (d) pastinacae denique radio; (e) quae omnia tamen, si effi-

imittuntur, digitisque fortiter dimouent. Vbi vero, quantum satis fuerit, euacuaris, (quod erit heminae dimidium,) nares spongiis ex posca detergendae sunt, vel iis aliquid ex aridis medicamentis, quae sanguinem supprimunt, inspirandum, vt galla, vel alumen scissile, vel balauftium.

(z) In program. Denarium Scarificatione Aegyptiaca.

(a) Obscurae sunt originis haec vocabula, quorum etymologiam nec STEPHANVS, nec forte alius lexicographorum tentauit. Cl. WIGAN in splendida Oxoniensi editione in notis ad varias lectiones τῆς σοφύνης deriuare videtur ἀπὸ τῆς σοφῆς, quod HESYCHIO teste τὸ ὄξύ τῆς δόρατος καὶ ἐπιδορατίῳ summam hastae cuspidem, seu mucronem, denotat; quae Criticis excutienda relinquimus.

(b) PLIN. Histor. Natural. L. XXX. Cap. I. T. II. p. 444.

(c) Eod. I. Cap. XI. §. 49. p. 473.

(d) L. XXX. Cap. III. p. 25. Conf. L. XXXII. Cap. VII. p. 583.

(e) L. XXXII. c. I. notandum vero est, pastinacam esse piscis maritimi



efficaciam spectes, difficiliora ad fidem esse videntur. His non merito adnumeramus dentis dolentis et gingivae scarificationem, quae ligno, quod fulmen tetigit, fieri solet, quam recentiores nonnulli extollunt. Nostra oculorum scarificatio ad cruentationem talem omnino referenda est.

Supra monuimus, illam iam ab HIPPOCRATE laudatam, a Cl. WOOLHOVSIO vero, qui primus verba HIPPOCRATIS recte intellexisse videtur, restitutam, nouoque instrumento, quod adornauit, perfectam fuisse. (f) HIPPOCRATIS verba leguntur in libello *περί ὀφθῆς*, seu de visu. Notum est, hunc libellum haud in genuinorum HIPPOCRATIS foetuum numero putatum fuisse: quare etiam MERCVRIALIS, (g) qui quatuor classes librorum HIPPOCRATIS

mi genus, cuius radium supra caudam eminentem adeo venentum existimat PLINIUS, ut eo nullum venenum detur exfecrabilius. L. IX. Cap. XLIIII. Confer. AELIANVS de natur. animal. L. I. Cap. LVI. et L. II. Cap. L. PLINIUS haec et plura exscripsit ex DIOSCORIDE, qui L. I. Parabilem Cap. LXX. p. 18. edit. Wechel. ita loquitur: *ὀφθαλμῶν ὀδονταλγίας ἐνεργῶς τεργῶνος θαλάσσιος κέντρος τῷ ἀερο παραρῆθῳ τῶν ἀγέστῳ ὀδόντα*. Lapsus itaque est doctissimus medicus MARC. AVRELIVS SEVERINVS, qui in Chirurgia Efficaci P. I. Cap. VII. haec loca ex PLINIO et DIOSCORIDE allegat; per passinacam vero plantae notissimae radicem intelligit, forte tamen etiam et hic error typhothetarum negligentiae debetur. Passinacae piscis descriptionem vide in Theatr. Vniuersal. Animal. IONSTONII a Cl. H. RVYSCHIO edito T. p. 19.

(f) Vid. WOOLHOVSII Dissert. Ophthalmicas de Cataracta et glaucomate anno 1719. latino sermone a le Cerf publicatas. p. 336. nec non programma Praefidis de Chirurgia artis medicae parente.

(g) In Cenfura de HIPPOCRATIS Operibus Basil. 1584. cum aliis opusculis impressa.



TIS constituit, hunc ad posteriorem et illam quidem refert, quae vere spurios, hoc est dictione, sententiis et doctrina ab HIPPOCRATE penitus alienos, continet. Existimat etiam hunc libellum eiusdem farinae esse, ac illos de exfectione foetus, corde, dentitione, virginibus, qui inter spurios omnes collocari debeant, non solum quod illorum testimonio nemo utatur, verum etiam quia absurda non pauca et ab Hippocratica gravitate atque doctrina aliena habeant. Nolumus iam disputationem positum putamus, saepe illa, ob rerum deperditarum obscuritatem, ob librariorum, qui veteribus codicibus scribendis mercenariam et negligentiore operam adhibuerunt, ut et eorum qui graeca in latinum transtulerunt, aberrationes, absurda videri, quae si intelligerentur, eximia laude et imitatione digna forent. Eius rei vel ipse iam paulo curatius explicandus textus praebere potest documentum; verba sic leguntur: (h)

“Όταν δὲ ξύης βλέφαρα ὀφθαλμῶν, ξύειν εἰρώ μηλησίω, ἔλω, καθαρῶ, περὶ ἄτρακτον περιειλῶν αὐτήν, τὴν σεφάνην τῶ ὀφθαλμῶν φυλασσόμενος, μὴ διακάνωσις πρὸς τὸν χόνδρον. σημεῖον δὲ ὅταν ἀπόχη τῆς ξύσιος, ἐν ἐτι λάμπρον αἷμα ἐξέρχεται, ἀλλὰ ἰχώρ αἱματώδης, ἢ υδατώδης. τότε δὲ χρεὶ τινὶ τῶν ὑγρῶν φαρμάκων, ὅπως ἄνθος ἐστὶ χαλιῶν, τετῶ ἀνατρίψαι.

In

(h) Edit. Frobenian.



In Lindenio haec verba latine reddita sic leguntur:

*Quum vero palpebras oculi raseris, lana milesia, crispa, pura, circum fusum obuoluta, radito, ipsam oculi coronam vitando, vt ne ad cartilaginem usque peruras. Signum autem sufficientis rasurae est, si non amplius splendidus sanguis exit, sed sanies cruenta aut aquosa. Tunc vero liquido aliquo medicamento, in quo flos aeris est, defricare oportet.*

Nos itaque τὸ ζῆν HIPPOCRATIS per scarificare interpretari haud dubitamus. Vulgo quidem radere, scabere, fricare denorat: vnde illud notissimum: τὸν ζῆντα ἐπιτρίβεις ἐως, mulus mulum fricat. Hic vero cruentam rasuram intelligi debere, non solum insequentia verba, sed et HESYCHIVS testatur, qui, vt supra iam notauimus, τὸ σκαρῖφάδου per τὸ ζῆν explicat.

§. VII.

Palpebras scarificare iubet HIPPOCRATES, quarum artificiosissima est structura. Situs, numerus, et cui destinatae sunt, vsus, omnibus cognitus est; de partibus vero, ex quibus compositae sunt, plus semel inter anatomicos disceptatum fuit. Integumenta habent sic dicta communia, vt reliquae partes: cutim, propterea, quod mobilis et plicatilis esse debuit, valde tenuem; nullum vero panniculum carnosum, vt VERHEYNIUS tradidit, (i) quem ideo CL. HEISTERVS merito reprehendit. (k) In primis vero anatomici dissentiunt circa musculos, ex quibus palpebrae compactae sunt. Vulgo duo numerantur, quo-

(i) In Anat. Tract. IV. Cap. XIV. p. 242.

(k) In Compend. Anat. Praefat. edit. recentiss. p. 19.



quorum alter, orbicularis dictus, vtrique palpebrae communis est, et opperiendo oculo inferuire dicitur; alter vero, qui in fundo orbitae principium habet, sub priori latet, et, in tarsum insertus, superiori palpebrae proprius est, cuius eleuator dicitur. Tertium nonnulli addunt anatomici, inferiori palpebrae proprium, depressorem dictum, qui, vt ex Tabulis anatomicis, a LANCISIO editis, (1) cognoscere licet, iam EVSTACHIO notus fuit, quamquam in explicatione, a LANCISIO addita, nulla eius mentio fit. Qui GALENUM (m) secutifunt, putauerunt, in vtroque cantho situm esse musculum, quorum alter maioris canthi, palpebras deorsum, alter minoris anguli, sursum moucat; ex quorum numero sunt AVINCENNA, (n) CARPVS BERENGARIVS, (o) nec non magnus, et anatomicorum fere princeps, VESALIVS. (p) GALENUM vero et VESALIVM primus correxisse videtur REALDVVS COLVMBVS, (q) qui sex palpebrarum musculos, tres in vtraque, numerat: orbicularem, et duos palpe-

(1) Tab. XLI. Fig. I, quam allegat Cl. BOERHAAVIVS Institut. Medic. §. 510.

(m) De vlu partium L. X. Cap. IX. T. IV. p. 54r, vbi multa de his disputat.

(n) L. I. Fen. I. Doctr. V. Cap. V. p. 49. edit. Iuntar. differt tamen AVINCENNA a GALENO. Nam superiori palpebrae eleuandae peculiarem musculum tribuit; duos vero musculos, quos cum GALENO in vtroque angulo sibi imaginatus est, claudendis palpebris destinatos esse credidit.

(o) In Isagoge in Anatom. human. corpor. Bonon. 1523. edita p. 58.

(p) De Corpor. Human. Fabric. L. II. Cap. IX. T. I. p. 195, edit. nouiss. nec non in Epitome, quam NICOL. FONTANVS cum annotation. edidit p. 45. in tertia muscutorum tabula, vbi horum muscutorum coalitus in media superioris palpebrae parte cernitur.

(q) De Re Anatomica L. V. Cap. IIX. edit. Venet. 1549. in Fol. impressa p. 123.



palpebrae superioris eleuatores. Videtur vero hic oculatissimus anatomicus trochlearem, seu obliquum maiorem ad palpebrarum musculos transtulisse. Numerus musculorum magis auctus fuit a IO. RIOLANO filio, (r) qui praeter leuatorem, palpebram superiorem mouentem, tres orbiculares statuit. Nam geminum facit orbicularem et vnicuique palpebrae suam tribuit; id quod ex neruorum, in illas implantatorum diuerso ortu, nec non ex cynico faciei spasmo, et partibus conuulsiuo motu affectis, probare studet, quibus adhuc addit minimum musculum, quem ciliarem appellat, qui vtramque palpebram orbiculatim cingere, tarsi tamen longitudinem haud excedere dicitur. Non multum abludit ab hoc recentissimus anatomicus, qui magnum, forte nimium, in musculorum numero augendo posuisse videtur studium, IO. DOMINICVS SANTORINVS, in Lyceo Veneto Anatomiae Prof. Publ. (s) Is enim contra celeberrimorum anatomicorum figuras monet, musculos frontales non omni ex parte oculorum orbicularibus esse subiectos, sed anteriorem ac superiorem fibrarum, ex quibus orbicularis conflatus est, seriem, sub frontali ad anteriorem oculi canthum moueri; haud tamen ad hunc pertingere, sed in supercilia implantari, quas fibras, ab orbiculari ortas, verum supercillii corrugatores constituere, contra HEISTERVM, existimat, qui corrugatores a frontalibus deducit. (t) Praeterea multis demonstrare laborat, alium esse orbicularem externum, crepidini orbitae adnatum, et vtram-

C

que

(r) In Anthropograph. L. V. Cap. X. p. 307.

(s) In Obseruat. Anatom. 1724 editis Cap. I. p. 7. seqq.

(t) Confer HEISTERI Compend. Anatom. p. 161.



que palpebram ambientem, alios esse musculos interiores, palpebris impositos, quos non ex fibris, in orbem ductis, sed rectis et arcum describentibus, conflatos esse existimat. Fibras etiam horum musculorum in cantho externo non in orbem continuari, sed, decussatim positas sibi implicari, putat. Ciliarem vero musculum RIOLANI cum aliis negat; quam novam horum musculorum diuisionem, intenta acie, vt ipse auctor monet, indagandam, anatomicorum solertiae relinquimus. ADRIANVS etiam SPIGELIVS (v) iam orbicularem in duos, superiorem et inferiorem diuisit. Accuratioꝝ horum musculorum et fibrarum, ex quibus coaluerunt cognitio, ideo necessaria est, quod in varia harum partium chirurgia, sectione imprimis tumorum cysticorum, multum refert, si sectionem ad fibrarum ductum dirigas. Sic etiam tendo, quem iuxta nasi radicem ex orbiculari formatum videmus, attentionem meretur. Quando enim is, id quod in fistulae lacrymalis chirurgia fieri potest, incauta manu auferatur, estropium, inferioris palpebrae vitium, relinquitur. Sunt tamen nonnulli, qui hoc vitium non tam a secto tendine, quam ab integumentis, vel cultello, vel ferro candente prorsus ad illam partem ablati, qua palpebrae sibi inuicem committuntur, proficisci existimant. (x) De inferioris palpebrae depresso adhuc addimus, illum, ex inferiori et externo orbicularium ortum, et in leuatorem labii superioris, qui alias incisor dicitur, continuatum, delineari a SANTORINO, (y) qui etiam distin-

(v) De Hum. Corpor. Fabrica L. IV. Cap. V. p. 98. edit. Venet. 1627.

(x) Vid. Praefidis Dissertat. de Fistula lacrymali.

(y) l. c. Tab. I.



distinctum motum inferioris palpebrae in monstroso infantis capite obseruauit. (z)

## §. IIX.

Ad glandulas palpebrarum progredimur, quae triplicis generis esse videntur; id quod tamen sic intellectum volumus, vt carunculam, quae in cantho maiori conspicua est, et olim glandula lacrymalis minor dicta fuit, cum Celeberr. et oculatissimo anatomico MORGAGNO ex glandularum catalogo proscribamur; (a) praefraete quidem negare nolumus, et in hac caruncula, vt in aliis saepe partibus obseruamus, minores acinulos, seu eiusmodi glandulas sebaceas haerere, quae lentum humorem ad exteriora fundunt. Pili enim, in hac caruncucula conspicui, qui sic dictis sebaceis glandulis inhaerent, hoc probare videntur; ideo tamen ad veras glandulas, et lacrymarum fontes haud referri meretur. Error enim, quem brutorum sectio peperit, et anatomicorum negligentior credulitas diu satis fouit, a laudato MORGAGNO feliciter detectus fuit. (b) Illa vero glandula, in orbita iuxta externum canthum posita, quae conglomerata est, diligentiolem considerationem meretur. Hanc veteribus non ignotam, nullo tamen peculiari nomine ab iisdem insignitam fuisse, certum est: quare et hodie glandulae innominatae titulo saepe distinguitur. (c)

C 2

VESA-

(z) l. c. Cap. I. p. II.

(a) In Aduers. Anatom. I. §. 22. et VI. Animadvers. 45. seqq.

(b) Vid. l. c. et imprimis Tab. II. Fig. I. in Aduers. VI. Confer Celeberr. RVYSCHII Thef. II. p. 86. Tab. I. Fig. III. qui punctula excretoria huius glandulae sic dictae obseruauit, et illam ideo glandulis adnumerauit.

(c) GALENVS de Vsfu partium L. X. Cap. XI. Εἰς δὲ τὴν ἐυκοιλίαν τῶν



VESALIVS tamen hanc glandulam pro musculo habuit, oculum aut palpebram attollente, (d) nec ab adversario FALLOPIO (e) monitus, hunc errorem fati correxisset videtur. (f) Insequentibus temporibus haec glandula melius a THOMA WHARTONO; (g) omnium optime vero a NICOLAO STENONE, (h) ex ouillo tamen, ut ipse fatetur, cadauere, vna cum ductibus excretoriis fuit delineata; monuit tamen cum aliis Celeberr. MORGAGNVS, (i) ductus illos non adeo facile in humano cadauere demonstrari posse, quamquam nullum dubium sit, illos aequè in homine adeste, et lacrymalem laticem fundere. Nuper tamen SANTORINO (k) occasio oblata fuit, hos ductus tenui specillo, ex filo aeneo facto, quod suspensa manu, ita admouit, ne viam faceret, sed exploraret, inuestigandi; id quod tamen in magni capitis turgidiori glandula factum fuisse fatetur. Hi minimi tubuli, ad palpebrae crepidinem, testante illud SANTORINO, aperti, quan-

doque

νήσεων, καὶ δύο ἀδείες ἐγένοντο καθ' ἑκάτερον ὀφθαλμῶν. Ὁ μὲν ἐκ τῶν κάτω μερῶν, ὁ δὲ ἐκ τῶν ἄνω πῶρος ἀδθηταῖς εἰς αὐτὰς ἐκχέοντες ὑγρὸν, οἷται περὶ εἰς τὸ σῶμα τοῦ σάλου ἐροχστεύουσι, οἱ παρὰ τῇ εἰσῆ τῆς γλώττης ἀδύες. Ex GALENO haussisse videtur BERENGARIVS c. l. p. 59. Inter coniunctivam et scleroticam est notabilis pinguedo et caro glandosa, suscipiens humiditates, sicut facit caro glandosa radice linguae, quas extrahit per foramina, quae sunt in palpebris, ante dicta, quibus mediantibus, tam pinguedine, quam humiditatibus servantur oculi ab exsiccatione.

- (d) VESALIVS de Hum. Corp. Fabric. L. II. Cap. XI. T. I. p. 197.  
 (e) In Obseruat. Anatom. p. 327. edit. Colon. de anno 1562.  
 (f) Vid. Examen Obseruat. Fallopii p. 159. edit. Venet. de anno 1564.  
 (g) In Adenographia Cap. XXVI. p. 182.  
 (h) In Obseruat. Anatom. de Oris, oculorum et narium vasis p. 87.  
 (i) Aduers. Anatom. I. §. 22. et VI. §. 34.  
 (k) l. c. Cap. IV. pag. 79.



doque plus humoris, quam ut is lubricando oculo infer-  
vire possit, fundunt, et tunc, quia a punctis lacrymalibus non omnis absorberi et ad nares ferri potest, inferiorem palpebram transcendit, et lacrymarum nomine per genas defluit. Hec vero accidit, quando fibrae neruae huius glandulae partiumque vicinarum crispantur, id quod fumo, omnibus acrioribus oculo, nec non membranae pituitariae, admotis, fieri solet. Forte tamen difficilior ratio reddi poterit, cur animi affectibus, moerore aequae, ac gaudio repentino inopinatoque, lacrymae effundantur. Nisi nos omnia fallunt, illud ex nervorum nexu explicandum esse videtur. Diaphragma, thorax omneque fere corpus motu quodam conuulsivo, qualis est sternutatio, concutitur, quando membrana pituitaria narium acrioribus afficitur, et his tum nervorum olfactoriorum propagines, tum ramulus quinti paris, per hanc membranam dispersus, conuellantur, quando enim huius propagines agitantur, intercostalis, ex quinti et sexti ramulis conflatus, et quod cum hoc fere vbiq̄ue intimius cohaeret, par vagum, qui nervi in utroque latere, ad musculos respiratori inferuientes, pertingunt, concutiuntur. (l) Hinc probabile videtur, nervos, quos glandula innominata ex rami prioris paris quinti propaginibus nanciscitur, (m) eo tempore, quando luctus vel lactitia, in quam saepe animus effunditur, spiritum cohibet cordisque motum turbat, ex male affectorum intercostalium et vagorum consensu crispari, et sic serum lacrymale exprimi. (n) Hic vero latex lacrymalis

C 3

(l) Vid. BOERHAVII Institut. Medic. §. 498.

(m) Vid. VIEVSENS Neurograph. L. III. Cap. 3. pag. 71.

(n) Vid. ex WILLISIO BRIGGESIVM in Ophthalmographia P. I. p. 116.



malis copiosior excernitur, quando ductus illi excretorii nimis laxantur; id quod suo incommodo experientur, qui mercurium vario opere tractant; inprimis vero, testante hoc WOOLHOVSIO, foemellae, quae, non naturali colore ex sanguine diffusio, sed illito fucio ex cinabari parato, placere student.

§. IX.

Alterum glandularum genus illud est, quod palpebrae cum aliis pluribus corporis nostri partibus commune habent. Sunt nempe illa minima organa excretoria, per palpebras, superiorem maxime, hinc inde disseminata, quae, notante illud MORGAGNO, (o) in brutis facilius demonstrari possunt, quam in homine. Subpalpebrales illas appellat, et ab iis distinguit folliculis, qui, prout in reliqua facie, inprimis in externa palpebrarum parte, haerent, atque formam ex variis tumoribus cysticis, in his partibus oriundis, probat Celeberr. BOERHAAVIVS. (p) Constat quidem, haec vltima glandularum genera a Celeberr. RVYSCHIO, et qui eum contra BOERHAAVIVM defendit, Celeberr. HEISTERO, (q) in dubium vocari, et ad glandulas haud referri, sed pro vasculorum ac neruorum plexibus ac papillis haberi; sed litem, inter Celeberrimos viros summa cum modestia agitatam, nostram quidem facere nolimus. Existimamus tamen, plura glandularum genera dari, et tales minores folliculos, id quod a BOERHAAVIO factum legimus, (r) excretoriarum, vel sebacearum

(o) Aduers. I. pag. 9.

(p) In Epistola ad RVYSCH. de Fabrica glandularum.

(q) In Compend. Anatom. p. 222.

(r) Institut. Medic. §. 251. seqq.



cearum nomine appellari posse; ad priores palpebrales, internae, ad posteriores, externae commode referuntur. Superfunt tandem illae glandulae excretoriae, quae in vtraque palpebra, eleganti ordine iuxta tarsum positae, cernuntur, ad cuius limbum minora oscula pertingunt. Dicuntur Meibomianae, quod illas HEN. MEIBOMIUS anno c15 l5 CLXVI. in epistola, ad IOELEM LANGELOTVM data, anatomicorum oculis primus exposuit; iure tamen historiae anatomicae peritissimus MORGAGNVS (s) suspicatur, illa olim non prorsus incognita fuisse, quam suspicionem Celeberr. viro forte CARPI BERENGARII verba afferre potuerunt. (t) Has glandulas, quas RVYSCHIVS *canaliculos serpentino reptatu reptantes*, et cum arteriolarum extremis continuos esse, contendit, (v) MORGAGNVS ad sebacearum classem retulit, fundunt illae humorem lentum, qui ex cadauere leuiori enchiressi exprimitur. Fontes enim sunt illarum sordium, quae in ophthalmiis palpebrarum limbos contaminant, quas Graeci *λίμνες* vocarunt. Nonnunquam hae glandulae chronico vlcere exeduntur, et perodiosam ac chronicam lippitudinem oculis rubentibus, et prurientibus inferunt; quale vitium a variolis saepe relinquitur.

§. X.

Palpebrae interius, qua oculi bulbum respiciunt, tenui membrana inuestiuntur, ex copiosissimis vasculis fan-

(s) Aduers. I. p. 9.

(t) Hagog. Anatom. p. 58. Circa istam cartilagine[m], quam GALENVS vocat tarsum, est aliqua pinguedo, humectans palpebras, necessitatis causa, ne exsiccantur propter suum fere motum continuu[m].

(v) Thesaur. X. p. 48.



sanguiferis, modo dictis glandulis excretoriis, intertextis nerveis papillis, conflata, quam membranam Celeberr. RVYSCHIVS elegantissime, vt solet, adumbravit. (x) Haec tenerior rubella, et exquisitissimo sensu praedita, tunica cohaeret, et cum tunica albuginea, et cum ipso, quo orbita inuestitur, periostio: qui harum partium nexus ideo notandus est, quod ex illo quaedam nostrae scarificationis efficacia intelligitur. Superfunt tandem tarsi, seu minores illae cartilagines, arcus in formam flexae, quae palpebrarum opercula constituunt. Tenera inuoluta sunt membrana, seu perichondrio, quae a palpebrarum tunica interna, modo descripta, proficiscitur. Tarsorum in aperiendis et claudendis oculis necessitatem demonstrant illorum laesiones, vel violenta manu, vel igne, vel diuturna lippitudine, alioque modo illatae, quas in entropio et ectropio imprimis videmus. Quare in omni chirurgia oculorum, nostra etiam scarificatione, iubente illud HIPPOCRATE, cauendum est, ne illis quicquam offensionis accidat. Pilis, seu ciliis instructi sunt limbi palpebrarum, tarsis ordinatim appositis, quibus mediantibus oculi a viuiddiori luce, insectis aliisque rebus, quae illos offendere possent, prohibentur. Rigidiores sunt pili, et peculiarem in modum flexi, quare, si distorti fuerint, grauissima oculis incommoda pariunt. Ex diuturna lippitudine et glandularum Meiboniarum exulceratione pili desluunt, qui posterior morbus *Μαθόρωσις* et *Μιλφωσις*; prior vero *Τριχίασις* vocatur. (y) Reliquas palpebrarum partes, imprimis illas, quae lacrymales vias constituunt, alibi fusius descriptas, iam praeterire licebit.

§. XI.

(x) Thef. Anat. X. p. 10. et 48. Tab. III. fig. VI.

(y) Vid. H. STEPHANI Vocabul. Medic. exposition. p. 3.



§. XI.

Cum HIPPOCRATE potius instrumentum considerabimus, quo palpebras scarificare ab eo iubemur. Si interpretes, FOESIVM, LINDENIVM aliosque sequamur, textus crassissimis occultatus est tenebris. Lanam enim Milefiam circumuoluere debet chirurgus *περὶ ἀτράκτων*. Τὴν ζύσιν vero, seu partium, quamuis teneriorum, cruentam sectionem mediante lana, re adeo molli, exercere, forte idem esset, ac si aquam ex pumice extorqueremus. Fufus etiam, quo mulieres lanificia in fila fundunt, hebetior maiorque est, quam ut tale quid illo perfici queat. Lana Milefia nomen habet a Mileto, Ioniae vrbe, de qua vide STRABONEM: (z) quare etiam FOESIVS (a) existimat, non *μυλησία*, sed *μυλησία, ἀπὸ Μιλήτης* scribendum esse. Lanam Milefiam inter molliores et optimas locum habuisse, varia a FOESIO ex HIPPOCRATE allegata loca, nec non PLINIVS (b) et COLVMELLA (c) testantur. Crispam enim lanam tenerrimam esse, norunt artis lanificae docti: quare et hanc praeferre videtur HIPPOCRATES. Obiter notamus, veteres medicos lana usus fuisse, qua mediante vlceribus et vulneribus medicamina admouerent, in cuius locum hodie linteum carptum substituerunt chirurgi.

§. XII.

In *ἀτράκτω* itaque quaerendae erunt cuspides, scarificandis palpebris idoneae. *Ἀτράκτος* interpretes per fufum

(z) L. XIV. T. II. p. 941. edit. Almelouenii.  
 (a) Oeconom. Hippocrat. p. 414.  
 (b) L. IIX. Cap. XLIIIX. p. 474.  
 (c) L. VII. Cap. II. p. 152. edit. Aldin.



sum reddunt. Fufus est instrumentum notiffimum, a filis, quae fundit, sic dictum, quo, PLINIO teste, (d) lanificia in fila tenuantur. Differt a colu, quae lanam fufinet, id quod eleganter defcribit CATVLLVS. (e) Haec instrumenta tamen faepe confundi, ita vt *ἀτρακτος* fubinde et colum, et fufum denotet, demonftrat HEN. STEPHANVS. (f) HIPPOCRATEM tamen nec fufum, nec colum intellexiffē certum est. Vtrumque enim instrumentum huic chirurgiae haud aptatum est: itaque *ἀτρακτος* hic idem erit ac *ἀτρακτοῦδος*, quae planta teste GALENO (g) est ex genere carduorum. Nomen inde duxit, quod ex ea olim agreftes mulieres fufum fecerunt, id quod probat SCHOLIASTES THEOCRITI: (h) quare forte prifcis temporibus *ἀτρακτος* et fufum, et ipfam, ex qua is paratus fuit, plantam defignauit. Hanc fententiam firmare videtur alius HIPPOCRATIS locus, aequē ab interpretibus, vt videtur,

(d) L. XI. p. 604.

(e) In Epithalamio Thetidis et Pelei p. 168. edit. Ifaac. Voffii.

Laeva colum molli lana retinebat amiculum,  
Dextera tum leuiter deducens fila fupinis  
Formabat digitis: tum prono in pollice torquens  
Libratum tereti verfabat turbine fufum.

(f) In Appendic. Thef. G. L. fub vocabulo *πῆνος* p. 1660. Confer. Commentar. BODAEI a STAPEL in THEOPHRAST. Hiflor. Plantar. ad L. VI. Cap. IV. p. 617. PLINIVM erroris accufare videtur SALMASIVS in Exercitat. in Solinum p. 629. quod Theophrasti locum haud intellexerit et τὸ πῆνον per colum reddiderit.

(g) De Medicament. fimpl. Facultat. L. VI. Cap. I. n. 72. T. XIII. pag. 161.

(h) Ad Eidyllion IV. p. 48. edit. HEINSII. Ἀτρακτοῦδος εἶδος βοτάνης, ἢ αἰώνους. Εἰρηται δὲ ἀπὸ τῆς πάσης ἀγροίκων γυναικας, ἀτρακτες ποιεῖν ἐξ αὐτῶν.



tur, haud satis intellectus. (i) Multum inter botanicos tam veteres, quam recentiores de vera atractylide disputatum fuit. (k) Nobis sufficit ἀτρακτυλῖδα, cuius-

D 2

cunque

(i) L. V. Epidem. Cap. XII. T. I. edit. LINDEN, p. 777. Loquitur vero HIPPOCRATES de ancilla, quae, postquam multum porum comederat, doloribus correpta, in orificio vteri, asperum quiddam deprehendit, cui postea alia mulier καθείσα τὴν χεῖρα ἐξέπρῖσσε λίθον ὅσον σπόνδυλον ἀτρακτε τρηχλῆν, manum immittens, expressit calculum asperum ad magnitudinem, non verticilli fusi, sed capitis cardui, seu ἀτρακτυλῖδος. Tò enim σπόνδυλος seu σφόνδυλος ancipitem et multiplicem potestatem habet apud Graecos; inter alias tamen significationes, teste HESYCHIO τῶν φυτῶν πυθμένως, plantarum extrema, nec non furculos, ex radicibus progerminantes designat. Vid. prolixè STEPHANI Thef. G. L. T. V. p. 1742. sub vocabulo πυθμῆν, Optime vero hoc intelligitur ex loco GALENI de Alimentor. Facultat. L. II. Cap. LI. T. VI. p. 363. vbi περὶ κινάρως de cinara sic loquitur: ἄνω ἐοικῶσι τὰς οἰὸν κερφαλάς αὐτῶν, αἱ ὀνομάζονται σπονδύλας. Ex quibus verbis clarum esse arbitramur, σπονδύλας; capita plantarum, quibus carduorum genera omnia gaudent, et σπόνδυλον ἀτρακτε caput et summam partem atractylidis, non vero fusi verticillum, vti interpretes reddiderunt, denotare.

(k) Imprimis contendere videntur: num DIOSCORIDES, num THEOPHRASTVS veram atractylidis dederit descriptionem. DIOSCORIDES de Medic. Mater. L. III. Cap. CVII. p. 219. hanc suppeditat delineationem: ἀτρακτυλῖς ἀκανθὰ ἐστὶν ἐοικυῖα κνήκῳ, μακροτέρα δὲ πολλὰ φύλλα ἔχει αἰσ ἐπ' αἰσ τῶν βαθίων. Tò τὲ πλείον γυμνὸν τραχύ, ὃ καὶ αἱ γυναῖκες χρεῖονται, ἀπὶ ἀτρακτε. ἔχει δὲ κνήκῳ φύλλα ἐπ' αἰσ ἀκανθῶδη, ἀνδρὸς ὄχειν. εἴσα δὲ νεπτὴ ἀχρηστος. Atractylis spina est cnico similis, sed quae in summis virgultis folia multo longiora proferat: maior autem pars nuda est et aspera, qua etiam foeminae pro colu vtiuntur. Capitula etiam gerit in cacumine aculeata, floremque pallidum: radix tenuis est atque superuacua. Quem secuti sunt ORIBASIVS Collect. Medicinal. L. XI pag. 412. in Collect. STEPHANI Medicor. Principum. Et PAVLVS AEGINETA L. VII. Cap. III. Aliam vero descriptionem dedit THEOPHRASTVS ERESIVS in Hist. Plantar. L. VI. Cap. IV. qui, postquam de Cnico syluestri et vrbanolo locutus est, et docuit ex vrbanolo a prificis mulieribus τὸ πύθνον seu



cunquē generis fuerit, esse herbam spinosam, quae radendis palpebris melius inferuire potuit, quam fufum, et veritati consentaneum videri, hanc plantam propter etymon et vsum ab HIPPOCRATE ἀτρακτον fuisse appellatam.

## §. XIII.

Postquam artis nostrae parens instrumentum descripsit, etiam indicat, a quibus partibus in huius scarifationis exercitio cauendum sit chirurgo. Primum mentio-

feu colum fuisse confectam, ad atractylidem pergit, de qua sic loquitur: ἀτρακτυλὶς δὲ τις καλεῖται καὶ λευιοτέρα τῆτιον. ἴδιον δὲ ἔχει τὸ φύλλον, ὅτι ἀφαιρέμενον καὶ τῇ σαρκὶ προσφερόμενον, ὀμμάτωδὴ ποιεῖ τὸν χυλόν. διὸ καὶ Φόνος ἐνοιοι καλεῖσι τὴν ἀκανθῶν ταύτην. ἔχει δὲ τὴν ὀσμήν δεινὴν καὶ φονωδὴν. ὅψις δὲ καὶ τελειοὶ τὸν καρπὸν πρὸς τὸν ματοπύρον. τὸ δὲ ὄλον, ὡς ἀπλῶς εἶπεν, ἀπασα ἡ ἀκινυδικὴ φύσις, ἐπίκρητος. Fufus (rectius carduus) agrestis his candidior est, habetque peculiare, quod in foliis euenit. Decerptum enim, et carni allatum, succum sanguineum effundit. Qua de causa Φόνος i. e. cruor a quibusdam spina est haec nominata. Grauis etiam odore, cruoremque repraesentans, sero persicit fructum. Autumno enim, et quidem in totum (vt summatim proponam) vniuersa spinaceorum natura fructus serotina existit. Hunc Theophrasti locum secutus esse videtur PLINIVS L. XXI. Cap. XV. T. II. p. 248. Aegyptii maxime celebrant cnicon, Italiae ignotam; ipsis autem oleo, non cibo gratam. Hoc faciunt e semine eius. Differentia prima sylvestris et sativae. Sylvestrium duae species: una mitior est, simili caule, tamen rigido: itaque et colu antiquae mulieres utebantur ex illis: quare quidem atractylida vocant. Semen eius candidum, et grande amarum. Altera hirsutior etc. Multum itaque discrepant, notante illud SALMASIO in Exercitat. ad Solinum p. 629. et de Homonym. Mater. Medic. Cap. LXXVI. p. 1012. haec plantae DIOSCORIDIS et THEOPHRASTI. Qui plura de hac controuersa legerē volunt, euoluant MATTHIOLI Commentar. in DIOSCORID. L. III. Cap. XCI. p. 593. nec non MATTHIOLI Apolog. aduersus AMATHVM, Lusitanum p. 34. edit. Francof. anno 1598. vt et, qui valde in AMATHVM inuehitur, BERNARDVM



tionem facit τῆς σφραγῆς τῆ ἰσθαλμῆ seu coronae oculi. GALENVS (1) hanc describit, quod sit locus, in quo vniuersae tunicae committuntur, quem alii iridem, alii coronam vocant. Est vero ille oculi locus, vbi tunica adnata cum cornea, nec non iris huiusque fibrae tendinae cum hac, et sclerotica, coalescunt, quam partem optime describit GALENVS. (m) Haec pars sensu exquisitissimo gaudet, maxime, vt videtur, propter fibrarum motricium, ex quibus iridem contextam cernimus, naturam: quare hic circulus in cataractae, hypopyi, aliaque chirurgia, sedulo vitandus est. Eum quandoque peculiare vlcis genus exedit, aegris, propter acerbissimum doloris sensum, valde molestum, quod in circulum et ad hanc oculi coronam serpit, ἀργεμον veteribus dictum. Praeter hanc bulbi coronam veteres aliam coronam palpebrarum notarunt; id quod GORRAEVS

D 3

ex

NARDVM DESSENNIVM de Composit. Medicament. L. IIX. p. 115. BODAEI a STAPEL Commentar. in THEOPHRAST. l. c. nec non SARRACENI notas ad dictum locum DIOSCORIDIS. Nec etiam his temporibus satis constat, cuiam plantae atracylidis nomen conueniat. Nam mox refertur ad enici genera. Vid. TOVRNEFORT. Institut. Rei Herb. p. 450. Tab. 257. et in Histor. Plantar. quae circa Lutetiam Parisiorum nascuntur, nuper a DN. IVSSIEV edita T. I. p. 323. mox ad carlinae genera. Vid. HERRMANN. Hort. Lugdun. Batav. p. 121. et DODARTIVM in Histor. Plantar. pag. 3. aliquando ad teolyimos refertur. Forte a veritate non profus alienum est, praescos ac primos rei naturalis medicaeque scriptores τῆ ἀταρικῆ et τῆς ἀτραυτιλιδος nomine varia carduorum genera comprehendisse.

(1) De Method. MEDEND. T. X. L. XIX. Cap. XIX. p. 343. Πολλὰ μὲν δὲ πρὸν ἀθροῖς ἐκινῶσασιν διακόντες τὸν κεραιοειδῆ, μὲν ὑπεράνω τῆ χωρίε, καὶ ὁ συμφρονται πρὸς ἀλλήλας ἅπαντες οἱ χιτῶνες. ἐνομαζέται δὲ ἐνίοι μὲν ἰσθ, ἐνίοι δὲ, σφραγῆν τὸ χωρίον. Confer. GORRAEI Definit. Medic.

(m) L. X. de Vsu Part. Cap. II. et III. T. IV. p. 532.



ex RVFFO EPHESIO indicat. (n) Forte non tam ad GALENI, quam ad hanc RVFFI coronam respexit HIPPOCRATES; neutra tamen harum partium cruentationem ferre potest. Sequentibus verbis: tarsis imprimis parcendum esse, monet HIPPOCRATES. Tarsos enim perichondrio seu membrana, quae leuissimae iniuriae impatiens est, inuestiri, et illorum laesionem maiora et insanabilia oculis relinquere vitia, supra notauimus. Hoc fortassis dubium videri possêt, quod HIPPOCRATES, qui scarificationem descripsit, iam de vrendis his partibus loquatur. Ast vero, cum saepe palpebrarum morbi: psora, trichiasis, aliique igne corrigendi sint, vel HIPPOCRATES hoc quasi obiter notare voluit, vel et haec verba aliqua menda laborant. Criticis iudicandum relinquimus, num pro διακόντης, διαθήκης legendum sit. Per τὴν χόρδον palpebrae tarsum intelligi, extra dubium positum esse videtur.

## §. XIV.

Quae sequuntur melius intelliguntur, ita tamen scripta sunt, vt ex iis certo cognoscamus, ipsum HIPPOCRATEM hanc chirurgiam exercuisse. Modum enim scarificationi constituens, ab illa tunc cessare

(n) RVFFVS EPHESIUS in Lib. de Corpor. Human. Part. Appellationibus p. 24. edit. Londinens. anno 1726. a GVILIELMO CLINCH adornatae: ὑπὸ δὲ ταῖς ἔφρυσιν, βλεφάρων, τὸ μὲν ἀνωθεν, τὸ δὲ κάτωθεν. τῶν δὲ αἰ μὲν εὐπεριστεύων τείχεα, τὰρσοι, καὶ βλεφάριδες. τὰ δὲ ψάροντα ἀλλήλων πέρματα ἐν τῷ κατώθεν ἡμῶς, ἑστῶσιν, καὶ χιλιῶν, subintelligitur ἀνομιχῶσιν. Sub superciliis palpebrae, quas etiam genas vocant, altera supra, altera infra sitae sunt: ab iis prodeuntes pili, graeco tarsī blepharides et latine cilia nominantur: harum extrema, cum nos dormimus, sese contingunt, coronae et chelae, hoc est unguulae dicuntur.



fare iubet, quando non splendens sanguis, sed ichor sanguinolentus succedit. Qui plus simplici vice oculos huic chirurgiae subiecerunt, norunt, ex iis, maxime, si grauiori ophthalmia laborent, ab initio cruorem exprimi, qui in aëre statim in tenacius coagulum mutatur, paulo post sanguinem sincerum magis rutilantem, et tandem, continuata scarificatione, aquosum effluere. Propterea verò hucusque continuanda est haec sanguinis missio, quia humores stagnantes, et in palpebris coaceruati, nisi omnes ac debite eliciantur, nouae inflammationi, accedente iritatione, occasione praebent, et ignem igni addunt. Haec enim causa est, cur haec chirurgia, non nisi repetita, speratum leuamen afferre soleat? Sanguinis etiam mutatio optimum signum est, morbum decrescere atque curatum iri. Tandem HIPPOCRATES has partes abstergendas esse medicamento sicco, quale aeris flos existit, docet. Hoc nomen veteres tenui illi puluillo, qui ex aere fuso et candente excutitur, et per auras dispergitur, quando ipsi aër frigidior repente accedit, vel quando frigida conspergitur, tribuerunt. (o) Quam salubre verò hoc medicamentum sit oculis, mox videbimus.

§. XV.

(o) Vid. DIOSCORID. L. V. Cap. LXXXIIX. PLINIVM L. XXXIV. Cap. XI. T. II. p. 661. et SALMASIVM L. c. p. 759. Ex recentioribus GEORG. FABRICII Observat. de Rebus metallic. in Collect. CONRAD. GESNERI anno 1565. edit. p. 15. Obiter notamus, ne error ex denominatione oriatur, esse quandam mineram aeris admodum diuitem, pulcherrimis coloribus variegatam, quae idem nomen a metallicis haec est; quae tamen cum flore aëris fusi haud confundi debet. Vid. KENTTMANNI Catalog. rerum fossil. in ead. Collect. GESNERI.



## §. XV.

Hanc chirurgiam sequentibus post HIPPOCRATEM temporibus non frequenter exercitatum fuisse suspicamur. CELSVS tamen (p) in asperiori oculorum inflammatione crassas durasque palpebras et ficulneo folio, et asperato specillo, et interdum scalpello eradi, verfasque quotidie, medicamentis suffricari a nonnullis, docet; id quod tamen, non nisi in magna vetustaque aspritudine, neque saepe, faciendum esse putat. GALENVS etiam, vel quisquis est autor libelli de oculis; (q) prae aliis vero PAVLVS AEGINETA, duritiam palpebrarum vel pumice, vel ficus foliis, vel instrumento, quod *βλεφαρόξυσον* seu palpebrarum rasorium appellat, radere docet. (r) Num praeter hos alii graecorum latinorumque medicorum hanc enchiresin commendaerint, nobis haud adeo certo constat? Inter Arabes RHASES (s) aliquoties palpebras scarificare iubet cum instrumento, quod appellat *Feynith*, et alio loco, *Fenich*, vel cum *cocbleari*, vel cum *foliis ficuum*, vel cum *spuna maris*, vel cum *Zuccaro*, aut *pumice*. ALBVCASIS, qui varia veterum chirurgorum instru-

(p) L. VI. Cap. VI. p. 363.

(q) Sect. VI. vngulam et scabiem euertere et excoriare et in scabie pruriente palpebram euertere et excoriare iubet.

(r) L. III. Cap. XXII. Περὶ τραχώματος. εἰ δὲ σκληρὸς ὢν ὁ τύλος μὴ τέτοις εἶνοι, ἐκτρέψαντες τὸ βλεφάρων, ζήσωμεν διακισθήσεως, ἢ στήπεως ὀφθαλμοῦ, ἢ φύλλων συκῆς, ἢ καὶ διὰ τὰ ὄργανα τὰ βλεφαροξύσει καλεούμενα. Confer. de hoc instrumento MARC. AVR. SEVERIN. de Efficaci Medic. P. II. Cap. CVII. Figuram illius, quale hodie a WOOLHOVSIO adhibetur, vid. in addita tabula.

(s) In L. II. Continent. Tract. III. Confer. PARAPHRAS. in IX. L. RHAZAE ab ANDR. VESALIO anno 1537. Basil. edit. p. 55. qui *βλεφαρόξυσον* in palpebrarum scabie laudat.



menta; diligenter conquifita et delineata nobis reliquit,  
 raforium; ex ferro indo conficiendum, nobis fuffit, quod,  
 capite rotundo, afpero inffructum, quodammodo cum  
 hoc *βλεφάρου* Pauli convenire videtur, quamvis illud  
 offi carie infecto, in fiffulæ lacrymalis chirurgia radendo,  
 deftinatum videatur. (t) Hoc instrumentum in palpe-  
 bris, pffora et vicere serpente chironio infectis, commo-  
 de adhibetur.

§. XVI.

Celeberrimus igitur WOOLHOVSIVS, HIPPO-  
 CRATEM feliciter imitatus, novum instrumentum af-  
 fabre factum excogitavit, etiam ex vegetabilium claffe  
 depromendum. Secale, Gallis Seigte, nobis *Avifien*,  
 fiue *Royen*, frumenti genus est noiffimum, quod, quam-  
 vis a PLINIO (v) deterrimum, et tantum ad famem  
 arcendam vtile reputatum fuerit, plurimis noffrum  
 quotidianum, et robuftioribus faluberrimum alimentum  
 largitur. Semen, artio pinguiori mandatum, in her-  
 bam, culmum geniculatum, exurgit, qui emittit fiffi-  
 cam, ex ariftis confertis formatam, vnde prodeunt flo-  
 fculi ftaminei, quales alfæ cereales ferunt. Flores hi,  
 ex ftaminibus pluribus compofiti, ex calice emergunt.  
 Piffillum floris mutatur in femen, calix autem in gla-  
 mam, nobis imprimis vtilem. Haec quali vaginula est,  
 et triangularis capsula, qua granum in fitu continetur,  
 et contra aërem aliasque iniurias defenditur. Inferior  
 glutinæ pars ex duplici lamella compofita est, quæ in

(p) L. III. Cap. XIX. p. 64.  
 (v) L. XIII. Cap. XVI. T. II. p. 119.



dorso coalita angulum magis acutum, quam rectum describit, et sic granum, ne elabatur, coerces. Ex his lamellis altera, et interior, tenerior est; exterior vero, aurae exposita, maiori robore gaudet. Dorsum seu illa pars, qua dictae lamellae sibi coniunguntur, spinam format, exterius copiosissimis et minutissimis spiculis oblitam, quae vix nisi intentis et armatis oculis cernuntur. Haec spicula obliqua et ita disposita, vt versus superiorem glumae partem seu caudam directa sint, altius cuti infiguntur, quando obuersa in eandem mouentur. Totae gluma duplici sua lamella inferius axi dentatae affixa haeret. Superior pars in longiorem et tenuem valde acum exporrigitur, quae proprie arista dicitur. Quo vero nostrum *βλεφαροζυσον* conficiatur, spicae ex agro pingui, cultissimo laetoque colligendae sunt. Iustam etiam maturitatem et aliquale robur illas acquisiuisse necesse est. Ex his selegantur integrae, nec agrorum manibus contrectatae. Secale, quod autumno feritur, nobis hybernium dictum, praestat vernali. Ex firmioribus eiusmodi et maioribus spicis glumae circa radicem, qua cum axe cohaerent, forcipe bene cultellata excindendae sunt, quarum plures XV. vel XX. in fasciculum collectae, ita, quantum fieri potest, disponantur, vt dorsum spinosum ad exteriora vergat. Filo renui cerato constringendus ad illam partem est fasciculus, qua glumae in acus seu aristas desinunt, quae filo circumducto inuolutae, chirurgi manubrium praebent. In extrema etiam parte, glumae rescindendae sunt, et sic instrumentum coaequandum et figurandum. Hoc verum est WOOLHOVSII *βλεφαροζυσον*, huic etiam chirurgur-



rurgiae admodum adaptatum. Accepimus quidem, esse quosdam qui tali, ex filo metallico confecto vtuntur; ast, cum nobis nondum adeo felicibus esse contigerit, vt illud videre liceret, huius artificii nec ignari laudatores, nec praecipites contemtores esse volumus. Vix vero tale ex auena parari poterit; id quod St. YVES memoriae prodidit. (x)

## §. XVII.

Oculus ita scarifandus est, vt indice et pollice dextrae manubrium instrumenti teneatur, sinistra vero palpebrae diducantur, et sic euertantur, vt interior rubicunda membrana, quae cruentanda est, emineat. Facile hoc fit in inferiori, difficilius in superiori palpebra; quae tamen commode inflectitur, quando medio digito, paululum compressa, indice ac pollice iuxta tarsum leuatur. Palpebrae inuersae sibi appropinquandae sunt, vt cornea tegatur. Supra hanc membranam *βλεφαρόζυγον* hinc inde reciprocetur, minima tamen spicula semper in contrarium sensum mouenda sunt, quae dum infiguntur, minorum vasculorum tomentum lacerant et sic sanguinem exprimunt. Instrumentum paulatim intra digitos versandum est, vt noua semper spiculorum adhuc integrorum acies palpebris opponatur. Hoc ex praecepto HIPPOCRATIS, quod et ratio et experientia confirmat, tam diu faciendum est, donec sanguis qui, in ophthalmia grumofus et tenacior est, dilutus et aquosus appareat. Instrumentum, quod plus simplici vsui haud inferuit, tandem hebescit et scarifa-

E 2

rifa-

(x) Traité des maladies des yeux p. 195.



rificationi finem imperat. Post hanc oculus calida ita elu-  
endus est, ut sanguinis coagulū vel spongia, vel lin-  
teolo calida imbuto, saepe abstergatur; id quod aliquoties  
per illum diem repetatur necesse est. Hunc enim in  
modum non sordes solum exterguntur, sed fibrae etiam  
laxantur et inflammatio in suppurationem minimorum  
vasculorum, in qua maximum praesidium positum,  
est, mutatur. Oculus sauciatus nunquam deligandus  
est, ne palpebrarum vulnericula vel cum adnata, ve-  
cum cornea concresecant; quorum vitiorum prius Sym-  
physis; alterum Prophyfis medicis dicitur. (y) Si  
vero noctu deligare velit chirurgus oculos, aliquid in-  
ter palpebras et alias partes interpositum sit necesse est.  
WOOLHOVSIVS femine hormini vtitur, cuius tria  
vel quatuor grana in oculos immittit, quae glabra sunt,  
et partes haud offendunt, sed sordes, quae ipsis agglu-  
tinantur, paulatim abstergunt. Rei necessitate illud  
postulante, id quod in aliis oculi et palpebrarum vitiis  
curandis facere solemus, bulbo obducimus aurifibro-  
rum tenerissimam vesicam, vnguento illitam. Vnguen-  
tum etiam ophthalmicum, quale est, quod ex tutia pa-  
ratur, has partes a concretionem impedit. His praesidiis  
instructus oculus ferre potest deligationem, quae, nisi  
haec obseruentur, saepe omnia peiora reddit, tum hu-  
morum acriorum saniem intra oculos coereret, qua  
partes, sensu exquisito pollentes, offenduntur et laedun-  
tur. Scarificatio aliquoties repetenda est; spatium ta-  
men,

(y) GVILLEMEAV des Maladies de l'Oeil Sect. IV. Cap. X. in Ope-  
ribus p. 762.



men, quod interponendum est, ex suppuratione, mor-  
bi atrocitate, et humorum maiori colluue iudicandum  
est.

S. XIX

Quod tandem ad efficaciam et vsum, quem male  
affectis oculis imperitur haec scarificatio, attinet, illa in  
triplicem finem, vt alii sanguinem mittendi modi, a me-  
dicis et chirurgis suscipitur. Euacuationis nempe de-  
rivationis et reuulsionis causa. Sanguis alique humo-  
res in palpebris stagnantes ex iisdem euacuuntur, quan-  
do illae, inflammatione correptae, tument ac turgent.  
Certam et celeriore[m] medelam affert illi inflammationi,  
quae saepe chirurgi pannum seu pterygium excin-  
dentis, hypopyum aperientis, staphyloma reponentis  
aliaque oculorum vitia efficaci medicina curantis mani-  
bus et instrumentis excitatur. Quando grauior oph-  
thalmia ex corporis vitio oculos corripit; id quod in che-  
mosi fieri obseruamus, nihil est, quod illi celerius mederi  
possit, quam repetita haec scarificatio, quae non palpebris  
solum, sed urgente necessitate adnatae adhibetur. Ita  
tamen in hac re prudens medicus versari debet, vt et  
aliis auxiliis fontes mali oppugnet. Eadem enim non  
omnibus oppugnantur, nec nostra scarificatio sola omnem  
ophthalmiam, aliaque oculorum vitia eradicabit. Ho-  
rum namque morborum ortum diuersum esse, notum  
est. Etenim si illos sanguinis abundantis et spissioris fa-  
cti pertinacior ad oculum congestio, mensum ac hae-  
morrhodium obstructio concitauerint, aut si virus ve-  
nereum in humoribus delitescens, gonorrhoea citius





cohibita, scorbutus irradicatus, scabies, et tinea repressa, aliaque humorum inquinatum colluuius, eosdem pepererint; vel si aliae excretiones salutares periodicae, sudores, alui profluua, qualia plures certo anni tempore non sine euphoria experiuntur, cum tali lippitudine conspirent, aliis etiam artis nostrae praesidiis oculorum vitia oppugnanda sunt, quod nisi fiat, saepe scarificatio nihil corrigit, sed omnia deprauat. Existimandum haud est, oculorum curationem externis remediis, quae saepe sine vilo discrimine copiosiora admoventur, absolui, sed haec therapia partium, quae et ad vitae usum, et dulcedinem tantum conferunt, non nisi ex vera theoria medica addiscitur. Efficacissime etiam haec nostra sanguinis detractio palpebrarum et tunicae adnatae inflammationem sanat, quando iam in siderationem prona, omnium deterrima est. Nam hic nostrum βλεφαρέζυζον idem praestat, quod in aliis partibus, gangraena correptis, chirurgorum scalpellus.

## §. XIX.

Rarius eum in finem nostra chirurgia exercetur, ut humores ad oculorum organa inuidentur, et, ut medici loquuntur, deriuentur. Hoc tamen fieri potest, quando ex neruorum solutorum vitio palpebrae difficilius moventur, et imbecilliori sensu torpent. Nostra enim ζύσις non sine doloris sensu admodum exquisito perficitur, qui ad ruocandam sentiendi ac mouendi potestatem, et ad humorum etiam motum aliquid facere potest.

## §. XX.



§. XX. Reuulsio tandem, qua mediante humores perniciosi a nobilioribus partibus ad alias, et loca, ex quibus foras eici possunt, reuocantur, nostrae imprimis chirurgiae ministerio obtinetur. Supra dictum fuit, ex illa palpebrarum interiores tunicas suppurare. Constat vero, in sanguinea et aciori serosa rheumatica ophthalmia certissimam spem futurae sanationis nobis affulgere, quando lacrymae tenuiores, limpidae, rodentes in glutinosam sanie mutantur, et tarsi palpebrarum ex his sordibus crassioribus sub somno sibi agglutinantur. Hoc vero optime nostra chirurgia obtinemus, qua et sincerus sanguis et in pus mutatus exprimitur, et humores caustici a cornea et interioribus oculi partibus ad palpebras deducuntur, et cum pure mixti excernuntur. Est ophthalmiae genus, quod totum oculi bulbum eiusque interiora occupat; aegri atrocissimis doloribus excruciantur, febre correpti delirant, oculus externus parum rubet, ast valde dolet, omnisque lucis impatientissimus est. Malum, nisi efficaciora auxilia adhibeantur, caecitate, imo aliquando totius bulbi suppuratione terminatur. In hoc nostram scarificationem saluberrimam deprehendimus, qua exterius suppuratio excitata, et interior inflammatio soluta fuit; aliis tamen generalioribus remediis, ut supra diximus, haud neglectis. Cornea, quando malignis ac serpentibus vlceribus deturpatur, etiam scarificatione omnium optime sanatur. Horum vlcerum varia genera sunt, variis etiam denominationibus a veteribus insignita, quas recensere hic nolumus. (z) Oriuntur saepe

(z) GVILLEMEAV l. c.



saepe ex ophthalmia atrociori, vel male curata. Quan-  
 do enim vel ex lymphae et sanguinis deprauati vitio,  
 vel ex vehementiori, et rheumatica humorum ad glandu-  
 lam lacrymalem congectione serum lacrymale acrius,  
 imo causticum fit, has partes rodit et vlcera excitat.  
 Saepe multum confert incongrua oculorum lippitudine  
 laborantium deligatio, collyria aciora adhibita, aer fri-  
 gidus oculo admissus, alique in regimine et medendi  
 methodo commissi errores. Ad quos etiam merito re-  
 ferendae sunt frequentiores alui solutiones, drasticis pur-  
 gantibus concitatae, quibus leuem ophthalmiam in pro-  
 fundiorem exulcerationem saepe mutatam vidimus.  
 Praecis enim notum est, et aluum strictam, et ean-  
 dem purgantibus stimulatam in ophthalmia nocere,  
 quamuis hanc diarrhoea sponte oborta vix plurimum  
 soluat. Talia vlcera quandoque foedissima sunt, et  
 carcinomatis naturam induunt, quae, licet ad cicatri-  
 cem perducta fuerint, hanc tamen, visum multum  
 impediens, relinquunt, quae etiam, maxime in  
 adultis, et si maior fuerit, nullo artificio detergitur.  
 Medicatio horum vlcerum difficillime obtinetur, nisi  
 nostra scarificatione humorum rodentium colluuiis  
 auertatur, et suppuratione reiciatur. Hae enim  
 adhibita, ad ropurganda vlcera aciori medicina haud  
 adeo opus est, sed totum negotium absoluit un-  
 guentum, quale HIPPOCRATES commendat ex  
 flore aeris, quem campanarum fusores colligunt, et  
 butyro maiali, seu alia depurata axungia confectum.  
 Non solum vero hoc de corneae, sed et adnatae et  
 scleroticae vlceribus dicendum est. Leuiores cicatri-



ces ex vlceribus relictae , saepe in infantibus abster-  
guntur , et corneae sua pelluciditas redditur , in quo  
negotio non parum confert scarificatio.

§. XXI.

Nolumus prolixiores esse in recensendis morbis,  
quibus illa medetur , addere potius placet , in quibus  
oculorum vitiis parum , vel nihil , leuaminis adferre solet,  
quamuis in his etiam a quibusdam laudari soleat.  
Ne ea repetamus , quae supra de ophthalmia , ex  
alio corporis vitio coorta , diximus , cui saltim haud  
sola sufficit : est genus lippitudinis , in quo oculi per-  
moleste pruriunt , ardent , ac sicci et asperi hinc inde  
finduntur . Serum lacrymale nullum est , palpebrae  
sunt scabrae , exsiccatis squamulis obsitae , lucem mo-  
leste ferunt aegri , et acerbissimo dolore distinentur ; ari-  
dam lippitudinem seu *ἔνεκ φθάλμικον* vocarunt veteres. (a)  
In hoc morbo vix non omnia nocent , quae in alia lippitu-  
dine profunt : vesicantia , collyria , frigida , vnguen-  
ta detergentia , et nostra etiam scarificatio perniciosissima  
sunt ; sed corpus in hoc morbo saepe lauandum , oculi  
fomentis calidis emollientibus laxandi , et interiora cor-  
poris lubricanda sunt . In venerea et scorbutica oph-  
thalmia , nisi alia , et interna praemittantur , humorum  
vitosorum affluxum ad has nobiliores partes augere  
potest . In cataractae , glaucomatis , guttae serenaes ,  
hypopyi , curatione , parum emolumenti adfert , nisi  
quod a primo horum morborum ortu , humores ad ex-  
F terio-


(a) Vid. CELSVS L. VI. Cap. VI.





teriora paululum deriuare, et post factam chirurgiam inflammationem coercere possit. Nec omnibus palpebrarum morbis speratum auxilium adfert; Glandulae meibomianae exulceratae scarificatione sanantur, si malum recens sit et reliquum corpus sanum, nec aeger cephalaea, aliisque morbis laboret; supra tamen laudatum vnguentum et hic adplicetur. In secus se habentibus saepe spes fallit. Parum ad curationem ectropii, entropii, trichiasis, anchylosis, reliqua confert. Pfora et lepra infectae palpebrae alio instrumento, quale illud PAVLI est, radendae sunt, quae vitia saepe non nisi igne extinguntur. Omittimus alia morborum genera, in quibus nostra scarificatio optimam, alia, in quibus pertenuem salutis spem facit. Speramus enim frequentius illius exercitium nos de eius efficacia certiores facturum esse.

F I N I S.





FIGURARVM  
EXPLICATIO.

- A. Insuperamentum sicuti in his diebus dicitur.
- B. C. D. E. Partes, ex quibus illud componitur.
- F. Byes... PAVLI REGINE  
TAE
- G. Glan... scelis.
- H. Glan... scelis seu  
WOOLHORSII










FIGURARVM  
EXPLICATIO.

- A. *Instrumentum scarifandis naribus dicatum.*  
B. C. D. E. *Partes , ex quibus illud compositum est.*  
F. Βλεφαρόξυσον *PAVLI AEGINETAE.*  
G. *Gluma secalis.*  
H. *Glumarum fasciculus seu Βλεφαρόξυσον  
WOOLHOVSII.*











01 A 6551

ULB Halle 3  
002 937 832




f  
se


WMA











DE  
SCARIFATIONE OCVLORVM  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
CONSENSV

P R A E S I D E  
D. IO. ZACHARIA PLATNERO  
PHYSIOL. P. P. ORD. FACVLTV. MED. ADSESSORE  
PRO GRADV DOCTORIS

DISPV TABIT  
M. FRIDERICVS CHRISTOPHORVS PRAETORIVS  
NEOSTAD. AD ORIL.  
MEDIC. BACCALAVR.

D. X. SEPTEMBR. ANNO c<sup>l</sup>o l<sup>o</sup>cccXXIIX.  
H. L. Q. C.

---

LIP S I A E  
L I T E R I S T I T I A N I S.

20.  
119

